



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

Romae, MDCLXXXVII

Q. 191. Vtrum, & quo pacto iustitia commutatiua ponat æqualitatem arithmeticam in commutationibus, tum voluntarijs, tum inuoluntarijs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84131)

pretium duplo minus pro re duplo minori, detur pretium duplo maius pro re duplo maiori, ideo iustitia commutatiua æqualitatem geometricam intendit solum consequenter, & veluti per accidens.

14. Ad 2. distinguo minorem: debitor habens plures creditores, ac non potens soluere singulis totum id, quod debet secundum proportionem arithmetica, debet per accidens soluere quantum potest secundum proportionem geometricam, concedo; per se, nego; concedo minorem; & distinguo consequens; ergo iustitia commutatiua in aliquo casu per se intendit, & ponit æqualitatem geometricam, nego; per accidens, concedo. Iustitia commutatiua per se intendit soluere æquale arithmetice debito, puta, intendit, vt debens centum det centum. In aliquo tamen casu per accidens ratione impotentia soluendi pluribus creditoribus æquale arithmetice, intendit, vt soluatur æquale geometricè. At iustitia distributiua per se intendit, vt in distributionibus ponatur æqualitas geometrica.

15. Ad 3. distinguo maiorem, & nego minorem. Delicta punienda sunt secundum æqualitatem arithmetica, nil aliud immediate intendendo, nisi, vt poena sit æqualis culpæ. Verum quidem est, quod aliquando ad inueniendam quantitatem poenæ, & quantitatem culpæ, adeoque ad ponendam æqualitatem arithmetica poenæ cum culpa, consideranda est dignitas personarum, in ordine ad quas desumitur quantitas, tum culpæ, tum poenæ. Nam alapa inflicta personæ digniori, puta principi in ratione culpæ, & iniuriæ, est maior, quam alapa inflicta personæ priuata, ac proinde minus digna. Similiter alapa in poenam, & compensationem inflicta personæ digniori, est maior in ratione poenæ, quam alapa inflicta personæ minus dignæ.

QVÆSTIO CXCI.

Virum, & quo pacto iustitia commutatiua ponat æqualitatem arithmetica in commutationibus, tum voluntarijs, tum inuoluntarijs.

S. Thomas quæst. 61. art. 2. & 4.

1. **V**ideretur iustitia commutatiua ponere æqualitatem arithmetica in solis commutationibus voluntarijs vendendi, emendi, non autem in inuoluntarijs, per quas nimirum alter iniuriam facit, alter patitur. Æqualitas enim arithmetica consistit in æqualitate rei ad rem; sed cum alter fecit, alter passus est iniuriam, ad satisfaciendum iustitiæ, non sufficit, vt ponatur æqualitas rei

ad rem; ergo &c. Probat minor: si enim aliquis furatus est centum, vt satisfiat iustitiæ, non sufficit, vt reddat centum, & sic reddat æquale ei, quod accepit, sed debet ulterius puniri. Similiter si rusticus impeggerit alapa, non sufficit, vt repercutiatur alapa, sed debet puniri poena multo maiori.

2. Respondeo ex Aristotele 5. Ethicorum, cap. 2. & Sancto Thoma quæst. 61. art. 2. commutationes diuidi in voluntarias, & inuoluntarias. Voluntariæ sunt, quæ spontè fiunt ex vtraque parte, ita vt vterque actus, hoc est, non solum secundus reddendi, sed etiam primus dandi, vel accipiendi, fiat intentione commutandi; exempli gratia emptio, venditio, mutuum, commodatio, locatio, depositum, fideiussio &c. sunt commutationes voluntariæ. Emptor enim dat pretium intentione commutandi illud in rem emptam: venditor dat rem intentione commutandi rem in pretium; mutuans dat rem intentione commutandi illam in rem eiusdem speciei: commodans, ac deponens dat rem vno tempore, intentione eandem numero re recipiendi alio tempore: locans dat vsum rei intentione commutandi talem vsum in pecuniam: fideiussor constituit se debitorem pro alio intentione, vt ille alius constituatur debitor ipsi. Commutationes inuoluntariæ sunt, quæ non fiunt spontè ex vtraque parte, sed fiunt ita, vt primus actus non fiat intentione commutandi, vt furtum. Nam qui furatur rem alienam, non furatur intentione commutandi, & reddendi, vel eandem rem, vel æqualem; qui autem patitur furtum, non spontè patitur, sed iniurius. Solus igitur secundus actus restituendi, & reparandi damnum fit intentione commutandi, & ponendi debitam æqualitatem.

3. Commutationes inuoluntariæ diuiduntur ab Aristotele, & Sancto Thoma locis citatis in clandestinas, & violentas. Clandestinae sunt, in quibus primus actus fit occultè per fraudem, vt furtum, adulterium, veneficium, lenocinium, seruorum seductio, cædes cum dolo, falsum testimonium, infamatio per occultam detractionem &c. Violentæ sunt, in quibus primus actus fit manifestè per violentiam, vt verberatio, vincula, cædes, rapina, mutilatio, conuicium, contumelia &c. Quia igitur per omnes istos actus potest quis esse iniustus, & inæqualis, ac facere contra ius alterius, circa omnes versatur iustitia impediens, ne fiant, ne sic auferatur æqualitas, & cum factæ fuerunt, illos emendans, ac redigens ad debitam æqualitatem per actus restituendi, satisfaciendi, puniendi &c.

4. Aduertit Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 61. art. 2. omnes enumeratos actus iniustitiæ consistere in hoc, vt quis contra ius vtatur re, vel persona alterius, aut persona coniuncta alteri, ipso iniuri, adeoque esse iniurias contra rem, personam, vel dignitatem alterius, vel contra

contra personam coniunctam. Furtum igitur, & rapina sunt iniuriæ contra rem alterius; & furtum quidem est iniuria, per quam quis clam, & per fraudem accipit rem alterius, invito ipso; rapina est iniuria, per quam quis manifestè, & per violentiam accipit rem alterius, ipso invito. Homicidium, verberatio, mutilatio, incarceration, veneni exhibitio, sunt iniuriæ contra ipsam personam in iis, quæ spectant ad consistentiam personæ, & possunt fieri, vel clam, & per fraudem, vel manifestè, & per violentiam. Infamatio, conuicius, contumelia &c. sunt iniuriæ contra dignitatem personæ, contra quam potest fieri, vel clam per occultam detractionem, vel manifestè, puta palam ipsam accusando, vel contra ipsam dicendo falsum testimonium, per manifestum conuicium, per manifestam contumeliam, &c. Adulterium, stuprum, seruorum seductio &c. sunt iniuriæ, per quas quis læditur in personis coniunctis. Per adulterium enim læditur in vxore; vt plurimum occultè, aliquando manifestè; per stuprum læditur in filia, sorore &c. per seruorum seductionem in seruo, licet quia seruus est res, & possessio domini, iniuria seductionis serui reducatur ad furtum, vel rapinam. His positis.

5. Quæri potest primò, vtrum iniuriæ clandestinæ, & violentæ, specie differant, per hoc præcisè, quod sit clandestinæ, & violentæ, ac proindè circumstantia clandestini, & violenti necessario explicanda sit in confessione?

6. Respondeo affirmatiuè. Ratio est, quia per iniuriam manifestam irrogatur patienti etiam quedam ignominia, cum videatur despici, & non haberi ratio illius; per occultam verò non despicitur, sed videtur ratio eius haberi. Hinc sequitur iniurias manifestas per se esse grauiores. Rapina igitur specie differt à furto, & est grauior iniuria: contumelia est iniuria specie differens, & per se grauior occulta detractione.

7. Quæri potest secundo, vtrum iustitia non solum in commutationibus voluntarijs, sed etiam in inuoluntarijs per se intendat, & ponat æqualitatem arithmetica?

8. Respondeo affirmatiuè, quia ex dictis quæst. 190. æqualitas arithmetica; est æqualitas rei ad rem, & quæ consideratur præcisè inter duos terminos; sed iustitia in commutationibus voluntarijs intendit æqualitatem rei ad rem, & quæ consideratur præcisè inter duos terminos; ergo &c. Probat minor. Nam sicut iustitia intendit, vt in commutationibus voluntarijs, quæ commutantur sint æqualia, exempli gratia vt in venditione, & emptione pretium sit æquale rei emptæ, & venditæ: sic intendit, vt in commutationibus inuoluntarijs pro damno, & iniuria ponatur æqualis compensatio, exempli gratia vt cum quis intulit alteri iniuriam furti, ac proindè posuit inæqualitatem, ponatur compensatio æqualis pro damno, & iniuria, & sic inæqua-

litas redigatur ad æqualitatem.

9. Potest quæri tertio, vtrum iustitia intendat, vt in commutationibus inuoluntarijs ponatur æquale, non solum damno, sed etiam iniuriæ?

10. Respondeo affirmatiuè. Ratio est, quia furans centum exempli gratia, non solum infert damnum, sed etiam iniuriam furti; ergo iustitia intendit, vt non solum ponat æquale damno, restituendo centum, sed vt etiam satisfaciatur pro iniuria furti, adeoque vt ponat satisfactionem æqualem iniuriæ. Rursus fur non solum facit iniuriam ei, cui furatur, sed etiam Reipublicæ, & Deo, cuius legem violant, & quem offendit; ergo iustitia exigit, vt non solum satisfaciatur ei, cui furatus est, sed etiam Reipublicæ, & Deo, & vt ponat satisfactionem æqualem iniuriæ, & offensæ Deo, ac Reipublicæ illatæ.

11. Hinc sequitur primò iustitiam etiam vindicatiuam, ac punitiuam esse quasdam partes iustitiæ commutatiuæ. Ratio est, quia nomine iustitiæ commutatiuæ vniuersaliter considerata intelligimus iustitiam, quæ intendit, & ponit æqualitatem arithmetica in commutationibus, seu voluntarijs, seu inuoluntarijs; sed iustitia punitiua, & vindicatiua intendunt, ac ponunt æqualitatem arithmetica in commutationibus inuoluntarijs; intendunt enim, vt qui per delicta, & peccata iniuriam, & offensam intulerunt Deo, & reipublicæ, accipiant pœnam arithmetice æqualem delicto, & offensæ; ergo &c.

12. Inferitur secundo iustitiam etiam præmiatiuam per se esse partem iustitiæ commutatiuæ, licet per accidens in humana republica præmia dentur iuxta formam iustitiæ distributiue, ponendo æqualitatem geometricam, non autem arithmetica.

13. Probat prima pars. Omnis enim iustitia per se intendens æqualitatem arithmetica inter duos præcisè terminos, per se est pars iustitiæ commutatiuæ; sed iustitia præmiatiua per se intendit, vt vnusquisque accipiat præmium æquale merito præcisè considerato; ergo &c.

14. Probat secunda pars. Nam respublica humana non potest dare præmia æqualia, meritis, tum quia nullum præmium dabile à republica humana, est æquale actibus honestis quibus de condigno debetur æterna felicitas, & eius augmentum, quæ felicitas dari potest a solo Deo; tum quia respublica humana, propter suam paupertatem paucis admodum dare potest præmia etiam humana pecuniarum, honorum, & aliorum bonorum communium; ergo quia non potest dare præmia arithmetice æqualia meritis, statuit, vt bona communia, quæ debeat distribui in præmiū, distribuantur secundum proportionem geometricam, ita vt dignissimo detur maximum ex præmijs, quæ dare potest respublica humana: secundo in dignitate, detur secundum præmium &c. Ex opposita ratione Deus, vtpotè

ut potè qui in ætarijs suæ omnipotentia habet infinitos thesauros præmiorum, post mortem dat unicuique præmium arithmetice æquale meritis, & gradum felicitatis æqualem gradui virtutis. Addo, quod Deus in distributionibus præmiorum non solum est iustus, sed liberalis, siquidem præmiatur supra condignum: & è conuerso in pœnis infligendis non solum est iustus, sed clemens, siquidem remittit aliquid de pœna debita ex iustitia, & punit citra condignum, ut satis communiter docent Theologi, & nos diximus lib. 6. in tract. de merito, qu. 99. num. 5. & sequentibus.

15. Quæri potest quarto, utrum æqualitas, quam intendit iustitia commutativa, & distributiva, consistat in talione?

Respondeo, quod ut docet Aristoteles 5. Ethicorum, cap. 5. Pythagorici existimarunt omne iustum consistere in talione, hoc est in eo, ut quis patiat id, quod fecit.

16. Contra hanc opinionem dicendum, primo cum Aristotele: iustitia distributiva non consistit in talione. Probatur: nam iustitia distributiva nullo pacto consistit in hoc, quod quis patiat id, quod fecit, sed consistit in hoc, ut bona, & onera communia distribuantur secundum proportionem, & æqualitatem geometricam, ut explicatum est q. 190.

17. Dicendum secundo: neque iustum, quod iustitia commutativa intendit, dum emendat commutationes inuoluntarias, consistit semper in talione, si nomine talionis intelligatur, quod quis patiat idem specie, quod fecit, ut apud Aeschilum Poetam tragicum statuit Rhadamantus, dicens, *Si quis quod fecit, patiat, ius erit æquum*.

18. Probatur. Nam si Princeps, vel aliquis magistratum gerens per iniuriam percussit priuatum, puta rusticum, ad ponendam æqualitatem non debet repercuti, & si repercutiatur, compensatio excedit iniuriam. È conuerso, si rusticus alapa percussit principem, vel hominem in magistratu constitutum, ad compensandam iniuriam non sufficit, ut rusticus alapa repercutiatur, sed debet ultimo supplicio plecti, & si solum repercutiatur, compensatio erit minor iniura illata. Ratio horum est, quia iniuriæ, & pœnæ in æstimatione morali crescunt, & decrescunt ex dignitate maiori, vel minori personarum, quibus inferuntur, vel quæ illas inferunt.

19. Confirmatur: nam non eadem pœna est dignus, qui percussit alium voluntarie ex plena deliberatione, non prouocatus &c. ac qui percussit aliquo pacto inuoluntarie, non ex plena deliberatione, prouocatus &c. ergo non potest vniuersaliter iusta pœna consistere in eo, ut quis patiat idem specie, quod fecit, puta ut si percussit, repercutiatur &c.

20. Dicendum tertio: iustum, quod iustitia commutativa intendit ponere in commutationibus inuoluntarijs, consistit in talione, si nomine talionis intelligatur, quod quis patiat æquale moraliter, & secundum æstima-

bilitem ei, quod fecit. Per hoc autem iustum commutativum conferuntur ciuitates, & omnes societates humanæ.

21. Probatur: nam cum homines patiuntur mala, & iniurias, naturaliter optant, ut malum æquale per publicam potestatem rependatur ijs, qui faciunt iniuriam, & nisi rependatur, adeoque permittatur, ut potentiores possint impunè iniurias facere minus potentibus, minus potentes videntur opprimi quadam specie seruitutis tyrannicæ à potentioribus; ergo ad conferendam societatem liberam, necesse est, ut qui facit malum, & iniuriam, patiat malum, non quidem semper idem specie, sed æquale moraliter, & secundum æstimabilitatem.

22. Hinc sequitur, quod pœna talionis, qua quis patiat idem specie, quod fecit, vel facere procurauit, aliquando est moraliter maior iniuria, & tunc est excedens, & iniusta; aliquando est moraliter minor, & tunc est deficiens; aliquando est moraliter æqualis, & tunc est simpliciter iusta: exempli gratia si princeps, qui percussit rusticum, in pœnam repercutiatur percussione eiusdem speciei, pœna est moraliter maior iniuria, adeoque est iniusta per excessum: si rusticus, qui percussit principem, repercutiatur eadem specie percussione, pœna est moraliter minor iniuria, & proinde est deficiens: si rusticus, qui percussit alium rusticum æqualem, repercutiatur percussione eiusdem speciei, pœna illa poterit censi moraliter æqualis iniuriæ, ac proinde iusta. Hinc Exodi 3. quibusdam iniurijs statuitur pœna talionis, qua quis patiat idem specie, quod fecit, ac dicitur: *reddet animam pro anima, dentem pro dente, oculum pro oculo, manum pro manu &c.* Hinc etiam quibusdam legibus statutum est, ut iniustus accusator, si contumaciter iniuste accusasse, puniatur pœna talionis, hoc est eadem specie pœna, qua accusatus punitus fuisset, si delictum fuisset probatum; exempli gratia ut qui iniuste accusauit de furto, vel homicidio, puniatur pœna furis, vel homicidæ. At quibusdam alijs iniurijs Exodi 22. statuitur iniuriarum pœnam, ut quis patiat malum physicè maius eo, quod fecit, ac dicitur: *si furatus fuerit ouem, aut bouem, & vendiderit, quinque boues pro uno boue restituet, & quatuor oues, pro una oue.* Ratio est, quia qui furatus est bouem ex gr. non solum intulit damnum, sed etiam iniuriam; ergo non est mirum legem statuisse, ut reddat vnum bouem ad compensandum damnum bouis ablati, & ut reddat alios quatuor boues ad compensandam iniuriam.

23. Dicendum quarto: iustum, quod iustitia commutativa intendit ponere in commutationibus voluntarijs onerosis, consistit in talione, si nomine talionis intelligatur, ut par pari referatur, non semper physicè, & secundum speciem, sed moraliter, & secundum æstimabilitatem. Probatur: nam iustitia commutativa intendit, ut in contractibus onerosis

is emptionis, venditionis &c. par pari referatur, puta pretium moraliter æquale rei venditæ; si autem hoc non fiat, læditur humana societas.

24. Dicendum quinto: gratitudo, etiam inrendit, vt in commutationibus gratuitis par pari referatur, non semper physicè, sed moraliter, reddendo beneficium moraliter æquale beneficio accepto.

25. Probaturnam sicut qui afficitur iniuria, naturaliter optat, vt à publica potestate facienti iniuriam reddatur malum moraliter æquale; sic, qui facit beneficium, naturaliter optat, vt ab accipiente reddatur sibi beneficium moraliter æquale; ergo sicut ad conferendam societatem necesse est, vt iudices illis, qui faciunt iniurias, reddant æquale moraliter, sic necesse est, vt qui accipiunt beneficia, per gratitudinem reddant, in quantum possunt, beneficia moraliter æqualia.

26. Addit Aristoteles primò, quod quia ad conseruationem ciuitatum necesse est, vt par pari referatur in beneficijs, idè antiqui statuerunt, vt templum gratiarum conderetur in aliquo loco conspicuo ciuitatis, vt ciues discerent reddendas gratias, & beneficia pro beneficijs rependenda. Hoc enim est proprium gratiarum.

27. Addit secundò oportere, vt qui beneficium accepit, beneficium rependat, & postquam reddidit par pro primo beneficio, rursus ipse beneficium incipiat conferre: si enim non incipiat, non par pari retulit ei, qui incepit. Ex. gr. si quis tibi indigenti donauit centum, debes illi similiter indigenti donare centum, neque per hoc par pari retulisti. Nam dare centum ei, qui prius dedit, non est beneficium moraliter æquale beneficio donandi centum ei, qui prius non dedit: ergo vt par pari referas, postquam retulisti centum, debes incipere, & donare alia centum. Hinc sequitur, quod in gratitudine nunquam datur par, ideoque antiqui putarunt gratias semper esse in numero dispari. Si enim qui gratis accepit centum, gratis reddat centum, beneficium redditum non est par beneficio accepto. Minus enim moraliter est beneficium reddendi centum, quam beneficium primo donandi centum.

28. Ad argumentum in contrarium, distinguo maiorem: æqualitas arithmetica consistit in æqualitate morali rei ad rem, concedo: in æqualitate solùm physica, nego: distinguo eodem pacto minorem: & nego consequentiam. Æqualitas arithmetica consistit in æqualitate morali, non autem purè physica rei ad rem. Cum enim quis furatus est centum, si restituat centum, ponit æqualitatem physicam rei redditæ cum re ablata, sed adhuc non ponit æqualitatem moralem cum iniuria illata; ergo vt ponatur hæc æqualitas, debet puniri pœna moraliter æquali iniuriæ, quam intulit. Rursus cum rusticus impegit alapam principi, si reperciatur alapa, licet ponatur

æqualitas physica alapæ pro alapa, non ponitur æqualitas moralis pœnæ pro iniuria illata, ideoque vt ponatur hæc moralis æqualitas, puniendus est pœna maiori.

QVÆSTIO CXCI.

Virum iustitia distributina, & commutativa secundum omnes partes sint iustitia propria, & stricta?

1. Primò videtur sola iustitia commutativa, non autem distributiva esse iustitia propria, & stricta. Ad iustitiam enim propriam, & strictam requiritur, vt det vnicuique quod illi debetur, vt suum, hoc est titulo suitatis, quia nimirum ad eius bonum, & utilitatem primò, & per se ordinatur; sed sola iustitia commutativa dat vnicuique id, quod est suum; titulo suitatis; iustitia autem distributiva non dat vnicuique suum, sed dat bona communia, quæ non sunt sua singulorum, ita vt primo, & per se ordinentur ad bonum singulorum: ergo &c.

2. Secundò videtur iustitia commutativa non esse iustitia stricta secundum omnes partes. Iustitia enim punitiva est pars iustitiæ commutatiuæ, vt dictum est quæst. 191. sed iustitia punitiva, dum punit, non dat punito suum; ergo &c. Probaturnam minor: nam suum vnicuiusque est, quod illi debetur, tanquam ad ipsius bonum, & utilitatem, & in fauorem libertatis principaliter ordinatum; sed pœna præsertim exterminatiua non ordinatur ad utilitatem puniti, sed ad utilitatem communitatis; ergo &c.

3. Respondeo suum alicuius dici dupliciter. Primò dicitur suum alicuius, quod est proprium illius, tanquam principaliter ad eius bonum, & libertatem ordinatum. Secundò dicitur suum alicuius, quod est commune, ita vt principaliter ordinetur ad utilitatem, & libertatem totius, cuius ille est pars. Vt enim docet S. Thomas 2.2. q. 60. art. 1. sicut pars & totum quodammodo sunt idem, sic quod est totius quodammodo est partis; sed iustitia commutativa dat vnicuique id, quod illi debetur, vt suum suitate proprietatis; iustitia distributiva dat vnicuique id, quod illi debetur, vt suum suitate communitatis; ergo vtraque est virtus dans vnicuique suum, adeoque vtraque est iustitia propria, & stricta.

4. Addo, quod ex proportionali ratione etiam iustitia legalis est iustitia propria, & stricta. Ratio est, quia sicut quod est totius est quodammodo partis, sic quod est partis est quodammodo totius: sed per iustitiam legalem pars dat toti id, quod debet debito fundamento in hoc, quod quæ sunt partis, sunt quodammodo totius; ergo etiam iustitia legalis est virtus dans alteri id, quod debetur titulo suitatis, adeoque est iustitia propria, & stricta. Aliæ virtutes ad alterum habent pro obiecto formali honestatem dandi alteri id, quod debetur,